INAUGURALIS,

DE

ERYSIPELATE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS DOBBIN, HIBERNUS.

Ad diem 21 Junii, hora locoque ſolitis.

Phoebe fave, novus ingreditur tua templa ſacerdos. TIBUL.

Surgeon General's Office
LIBRARY.
149442
Washington, D.C.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.

M, DCC, LI.

JACOBO DOBBIN, M. D.

MEDICO PRAESTANTISSIMO,

PATRUO SUO

BENIGNISSIMO;

NEC NON,

GULIELMO DOBBIN, ARMIGERO,

PATRI SUO INDULGENTISSIMO,

AMATISSIMO,

HASCE SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT

JACOBUS DOBBIN.

DISSERTATIO MEDICA

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ERYSIPELATE.

ERYSIPELAS est inflammatio, late se extendens, splendens, cum calore, dolore, et colore ex rubro flavescente; quae externa integumenta, vel internas corporis partes membranaceas, occupat. Bene notus erat hic morbus veteribus; causam autem ejus non tam clare illis innotuisse apparet ab insonte accusata bile, quam pro hujus mali origine illos habuisse ex Galeni verbis patet, * εἰσὶ δ' ἐξ αἵματος καὶ ξανθῆς χολῆς θερμοτέρων τοῦ ζέοντος μικτὸν εἶη τὸ ῥεῦμα, ἢ ἐξ αἵματος μὲν, ζέοντος δὲ καὶ λεπτοτάτης τὴν σύστασιν, Ερυσίπελας τὸ πάθος καλεῖται. In eadem fuisse sententia plurimos † antiquorum alios, ex eorum scriptis colligere fas est. Mihi oriri videtur eodem modo ac inflammationes aliae; et medius esse inflammationis gradus inter phlegmonen et oedema, quorum illa, in majoribus, hoc, in minoribus vasis, locum habet. Si propius ad phlegmones naturam accedat, dicitur Erysipelas ‡ Phlegmonodes: si potius

* Meth meden. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. charter. tom. x.

† Paul. Æginet. de re medica, lib. 4. cap. 17.
Ætius Tetr. 4. serm. 2. cap. 59.
Actuarius meth. meden. lib. 2. cap. 12.

‡ Galen. meth. meden. ad Glauc. lib 2. cap. 1. charter. tom. x.

tius ad oedematis naturam vergat, dicitur Eryſipelas * Oedematoſum.

Error aliquis in non naturalibus, ut dicuntur, huic morbo ortum praebet. Eum ſaepe ſuſcitavere vehementiora animi pathemata, praeſertim ira: haud raro oritur ex aere nimis calido, necnon ex ſubita refrigeratione corporis prius calefacti: et frequenter in cauſa eſt cibus calidus nimis larga copia ingeſtus, ut et potus exaeſtuans, crebraque ebrietas: denique ſi in corpore diſpoſitio ſit ad Eryſipelas, vel ex plethora, ex affectione † haereditaria, ex omiſſa vel impedita evacuatione aliqua ſolenni, vel ex eo quod antea inſultum fecerat, cauſa ſatis levis invaſioni hujus mali occaſionem praebere poſſit.

Nullo non anni tempore invadit hicce morbus; obſervant autem plurimi ‡, quod exeunte aeſtate frequentius occurit. Etſi ſaepenumero ſatis ſubito corripiatur aeger, eruptionem frequenter praecedit horripilatio, ſitis, calor, inquietudo, et ſymptomata alia quibus febris conſtipari ſolet. Progreſſa aliquamdiu febris (ſaepe ſatis valida, ſaepe non tam manifeſta,) inflammationem producit in aliqua parte, unde augetur febris, quae attamen paululum plerumque eruptioni cedit.

Pars

* Galen. meth. meden. lib. 14. cap. 4. charter. tom. x.

† Frederic. Hoffman. opera omnia, tom. 2. p. 100.

‡ Sydenham. de feb. Eryſip.
Van Swieten. comment. aph. §. 723.

PARS affecta dolore urgetur acerrimo, ſplendet, tactui parum cedit, colorem induit ex rubro flaveſcentem, et licet rubor evaneſcat ubi digito urgetur, ſtatim ſublata preſſione, eodem rurſus imbuitur colore: pars etiam haud raro tumet; hicce autem tumor aliquando non ita notabilis eſt, etſi aliquando ſatis magnus, quod accidere videtur, quando inficitur etiam ſubpoſita celluloſa ſubſtántia: haec Galeni opinio fuiſſe videtur, qui dicit *, ὥσπερ ὖν ἡ προτέρα (φλεγμονή) συνεπιλαμβάνει τί χ τῦ δέρματος, οὕτω χ ἥδε (ἐρυσίπελας) τῆς ὑποκειμένης αὐτῷ σαρκός.

NULLA corporis pars, ubi datur cutis, ab hoc malo immunis eſt, nunc extremitates obſidet, nunc mammas dehoneſtat, ac varia omnino et incerta eſt ejus ſedes; obſervant autem autores, quod faciem † praecipue occupat, eamque foedam turpemque reddit, ubi paulo ante ſedem fixiſſe gratiae videbantur; tota denique corporis ſuperficies ejus furori exponitur: nec tutiora, licet recondita, ſunt ipſa viſcera; ſed ex practicorum ‡ obſervatione hac infeſtantur lue, et cum maximo noſtro damno ſaepius contabeſcunt.

PRIUSQUAM

* Meth. meden. lib. 14. cap. 2. charter. tom. x.

† Sydenham. ibid.
Lommii obſer. medicin. lib. 2. p. 267.
Van Swieten, loco jam citato.

‡ Hippoc. lib. 1. de morb. ſec. 2. et lib. 2. ſec. 3.
Paul. Æginet. de re medica, lib. 3. cap. 8. et cap. 46.
Alex. Trall. lib. 5. cap. 2.
Ætii Tetr. 2. ſer. 1. cap. 89. et ſer. 2. cap. 26.
Theophil. Bonet. ſepulchr. lib. 1. ſec. 7. obſer. 2.

PRIUSQUAM prognoſin ſatis certam, in hoc vel in ullo ferme alio morbo, ſtatuere poſſumus, plurima conſideranda veniunt, quae eam toto coelo diverſam reddere poſſint. Pars * quam obſidet morbus, inflammationis gradus, aegri aetas, habitus, ſexus, craſis, tum et multa † alia cognoſci debent: et haec omnia explorata habere prius oportet medicum, quam de morbi eventu ſententiam ſuam profari audeat.

SI cerebrum ejuſve membranas, vel unum ex viſceribus magis nobilibus, affligat morbus, neceſſe eſt ut plus periculi ſecum afferat, quam ſi extremos occupaſſet corporis artus.

MAXIMA etiam differentia oriri poteſt ex conditione partis antequam morbi ſaevitiem experta eſt; *e. g.* ait Hippocrates ‡, Ἢν γυναικὶ κυύσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται θανατώδες. Malum etiam pronunciat Eryſipelas || ab oſſis denudatione.

SI aegri habitus ſit ſcorbuticus, vel ſi impedito menſium fluxu, vel ſuppreſſa alia quadam ſolenni evacuatione, ſeſe prodat

* Patet pariter in febribus talibus, Eryſipelatoſis varium eventum imprimis pendere a partibus illis quas natum ex febre Eryſipelas occupat. Van Swieten. comment. aph. §. 593.

† Neque ignorare oportet, quae ſit aegri natura: humidum magis, an magis ſiccum corpus ejus ſit: validi nervi an infirmi: frequens adverſa valetudo, an rara, eaque cum eſt, vehemens eſſe ſoleat an levis; brevis, an longa: quod is vitae genus ſit ſecutus; laborioſum an quietum; cum luxu an cum frugalitate. Ex his enim ſimilibuſque, ſaepe curandi nova ratio ducenda eſt. Corn. Celſus de med. praef.

‡ aph. 43 ſ. 5.

|| aph. 19. ſ. 7.

prodat Erysipelas, cum majore vi saevire possit morbus, difficiliorque devenit curatio.

Sed ubi naturalis morbi malignitas augmentum non capit ex infausta tali dispositione, satis propitia mihi videtur prognosis.

Caute tamen progrediendum, ac cavendum, ne infausta medendi methodo aeger orco tradetur, quem ipsa fortasse natura, sibi relicta, a morbi vi liberasset. Ut in vado sint omnia igitur hisce satisfaciendum indicationibus;

1*mo*, Impediatur, si possibile sit, ulterior morbi progressus.
2*do*, Leniantur symptomata magis urgentia.
3*tio*, Expellatur e corpore materies peccans.
4*to*, Praecaveatur morbi reditus.

Ad priores duas indicationes absolvendas, nil efficacius videtur, quam inflammationis causam amovere, aut saltem ejus effectus minuere; in hunc finem extemplo sese offert venaesectio, quae, si modo ejus usum pulsus admittat, spem raro fallit. Sydenhamus * suadet, quod si non sufficiat operatio prima, denuo repetatur, et etiam ad tertiam usque vicem, si intensior urget febris, interposito die uno. Me non latet multos a sanguinis missione abhorrere, in eruptionibus cutaneis; sed quando fractae vires, aut pulsus debilis, aut alia aequalis momenti contraindicatio non vetant,

* Loco citato.

per phlebotomiam liberatur pondere corpus inutili, ac liberius officio ſuo fungi poteſt natura. Nobis affirmat Freind, * nullum fuiſſe experimentum a ſe ſaepius expertum, aut cum ſucceſſu magis felici. Alvus eodem tempore laxa ſervanda, eccoproticis † lenioribus, aut clyſmatum uſu.

GALENUS recte obſervat ‡, τὸ μὲν ὧν ἀκριβὲς ἐρυσίπελας αὐτῦ τῦ δέρματος μονῦ πάθος ἐστὶν. quare ad tertiam indicationem reſpondendam, rationalis medendi methodus eſſe videtur, materiae morbificae expulſionem moliri, eodem modo quo ipſa natura eam eliminari conatur; ſecundum Hippocratis conſilium ‖, Δεῖ ἄγειν, ὅκῃ ἂν μάλιϛα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χορίων. In hunc finem aeger aſſiduo bibere debet potum tenuem, tepidum, aquoſum, atque acidulum, per quem diaphoreſis aſſidua, ſed levis ſuſtentari poſſit; quo pacto attenuabitur ſanguis viſcidus, et aptior reddetur ad tranſeundum per vaſa minima, et ejicientur inutiliores particulae circulationi jam offenſae. Aegri corpus ſumma cura protegi debet ab externo frigore, et eodem tempore ita fugias ne praeter caſam: pars affecta ſpeciatim juſto majorem aut frigoris aut caloris gradum pati non oportet; quorum uterque modo quam diverſiſſimo eoſdem produceret effectus, augmentum ſcilicet inflammationis.

SI quod interna depaſcitur Eryſipelas ſuſpicari eſt, (heu! quod

* Hiſt. medicin.

† Vid. Mead monita medica. ſec. 6. de Eryſipelate.

‡ Meth. meden. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. charter. tom. x.

‖ aph. 21. ſ. 1.

quod cognitu sit tam * difficile), totis innitendum viribus, ut foras ducatur, atque ut prohibeatur ne ad interiora redeat; olim enim observavit Cous † senex, ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν. Cui proposito forsan inserviret totam corporis superficiem balneo vaporis tepido laxam reddere, et peccantem materiam ad exteriora allicere diaphoresi leni et assidua. Si hoc efficere non possumus, de aegro conclamatum est; nam ab Erysipelate intro pulso internarum partium inflammatio, gangraena, et spacelus; asthma convulsivum, vertigo, affectus soporosus, deliria, phrenitis, et mala plurima alia pejora morte, quae paucis diebus aegrum e medio tollit ‡, *ni quod intus est diffusum fuerit ac foras transeat.*

Si externe apparet Erysipelas, aut si ulla arte ad externam corporis superficiem determinari potest, applicationes quaedam topicae aegro multum prosint; sed summa cautela adhibeantur est necesse. Nil justius verbis Hoffmanni, " || Sed quantus abusus deprehendatur topicorum in Erysi-" pelate capitis eloqui ex digno non possumus; est certe " Erysipelas, affectus qui cautissimam externorum requirit " applicationem."

Adstringentium gens tota noxia mihi videntur, nam per ea augetur vasorum actio in materiam jam nimis impactam,

* Nulla enim signa sunt, quae hanc febrim Erysipelatosam distinguant.—— Van Swieten comment. aph. § 593.

† Hippoc. aph. 25. s. 6.

‡ Hippoc. lib. 1. de morb. sec. 2.

|| Frederic. Hoffman. opera omnia, tom. 6. p. 326.

ctam, per quod pertinacior fit obſtructio, violentior redditur inflammatio: aut ſi per earum vim retropellitur ſubito materies peccans, a vero non abſimile eſt, quod natura nimis onuſta ſeſe liberet, depoſita materie in viſcus quoddam nobilius, ſicque cito ſatis de aegro actum ſit, ni rurſus ad exteriora vergat. Galenus conſcius fuiſſe videtur periculi quod aſtringentium uſum comitatur, nam etſi in Eryſipelate refrigerationem laudaverat, addit ſtatim *, οὐ μὴν ἀκίνδυνός γε ἡ τοιαύτη θεραπεία παντὶ σώματι, διὰ τὸ φέρεσθαι τὴν χολὴν ἐνίοτε πρός τί τῶν ἐπικαίρων μορίων. Ὅπου γε καὶ ὅταν αἷμα ψύχηται πλεονάζον ἀκίνδυνον ἐκ τῶν ἀκύρων μοριῶν ἀποθεῖσθαι τὸ ῥεῦμα. Et Hippocrates dicit †, ᾗ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον (ὠφελεῖ) ἐπεὶ τό γε ἑλκούμενον βλάπτει.

MEDICAMENTA omnia quae potenti relaxandi vi praedita ſunt, hoc malum ſibi comitem habent, quod magnum humorum fluxum attrahunt in partem jam nimis diſtentam, et idcirco tantum abeſt ut proſint, quod augmentum afferunt morbo.

APPLICATIONES oleoſas ut poros occludunt exitumque negant perſpirationi, multum nocere neceſſe eſt: exemplum narrat Hildanus ‡ Eryſipelatis oleo inuncti in gangraenam terminati. Ex auctoribus etiam conſtat ‖ Eryſipelas ex oleoſorum

* Meth. meden. lib. 14. cap. 3. charter. tom. x.

† aph. 23. ſ. 5.

‡ Centur. 1. obſerv. 82.

‖ Boerh. praelect. academ. par. 765.
Van Swieten comment. aph. §. 718.

eſorum applicatione ortum duxiſſe; parum ab his igitur promovetur cura.

Nonnulli ſuadent micam panis lacte tepido macerati affectae parti applicare, quae forſan non male cederet, ſi nimis non relaxaret, et ſi ut cito acescit, eam ſaepius renovare non eſſet neceſſe, per quod frigori, aliiſque incommodis exponitur aeger.

Quidam parti amylum inſpergere ſat eſſe credunt, quod neque refrigerat neque plus juſto calefacit, nec mutari tam frequenter requirit.

Alii partem involvi jubent panniculis laneis prius madefactis in decocto quodam tepido attenuanti; quod componi poteſt ex ſpiritu mindereri, tartaro tartarizato, &c.

Alii nil amplius neceſſe exiſtimant, quam partem a frigore per laneos panniculos protegere, aliamque applicationem omnem ſupervacaneam cenſent.

Tali aliqua methodo forſan per reſolutionem curari poſſit morbus, cane etenim pejus et angue, vitanda ſunt omnia quae ſuppurationem * promovent priuſquam omnis evanuit ſpes

* Incidere hic non raro ſolet, ut ad ſuppurationem Eryſipelas tranſeat; unde peſſima plerumque diuturna item ac late ſerpentia naſci ſolent ulcera. Laur. Heiſt. inſtitut. chirur. tom. 1. de Eryſip.

ſpes reſolutionis, et adhuc multo cautius arcenda eſt gangraena; monet Hippocrates * ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σπασμὸν, ἢ τετάνους. (κακόν)

Ægri cibo interea proſpiciendum, qui talis eſſe oportet ut facile concoqui poſſit; *e. g.* Juſculum leve, poma aſſata, biſcoctum cum thea, gelatina panis, *&c.* potus convenientiſſimus erit liquor aliquis tenuis tepiduſque, ut oryzae decoctum, aut ptizana, cui addi poſſint poma, ceraſa, pruna, ad gratam conciliandam aciditatem: ſi violentior urget febris, pauxillum nitri adjicere non nocebit.

De caeteris non naturalibus aequalis habenda eſt ratio: cavendum ne nimis evigilet aeger, ac ſi febris dolorve impediat quo minus ſomno (beneficio hominibus gratiſſimo, amiciſſimo) fruatur, neceſſitas adeſſe queat opiata propinandi.

Ægri mentem non minus quam ejus corpus quietam ſervare oportet, et a violentioribus omnibus pathematibus ſerenam.

Si hac methodo faeliciter aegrum ſanitati reſtituere poſſumus, ad quartam reſpondendam indicationem neceſſe erit, per repetita lenia purgantia ejus corpus liberare ab omnibus pravis humoribus, partemque antea affectam ſpeciatim,

* aph. 20. ſ. 7.

ciatim, et universum in genere corpus firmare, ne rursus invadat morbus, quod haud raro ex autorum testimoniis accidit: si ex causa aliqua nota ortum duxit morbus, praecavendus ejus causae reditus; et ad solitam vitae rationem paulatim et caute redeat, sanitati jam ferme restitutus aeger. Institutum aquarum mineralium usum sub congruo regimine multum laudat Hoffmannus * ad corpus ab hujus mali reditu vindicandum.

De Erysipelate singulas corporis partes occupante mentionem facere ex consulto omisi, cum pauca tantum proferre de Erysipelate in genere, hujus Academiae legibus obtemperaturus, animum induxi.

* Opera omnia, tom. 2. p. 102.

FINIS.